

Dissertatio quarta de vitiis machinae humanae ventriculum maxime atque intestina afficientibus ... / [Mark Rau].

Contributors

Rau, Mark.
Camerarius, Elias, 1673-1734.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Josephi Sigismundi, [1726]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fgb2j5nr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

*DISSE*RATI*O QUARTA*

14

DE

VITII

MACHINÆ

HUMANÆ

VENTRICULUM MAXIME atq;
INTESTINA AFFICIENTIBUS.

Quam

Aspirante Gratia divina

Authoritate Amplissimæ Facultatis Medicæ

P R A E S I D E

ELIA CAMERARIO,
PROF. ORD. MED. ET CONS.

WIRT.

PRO LICENTIA

summisque in arte saluberrima Honoribus
Eruditorum submittit Examini

D.

Sept. MDCCXXVI.

MARCUS RAU, Ulmensis.

TUBINGÆ, Typis JOSEPHI SIGISMUNDI.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30776004>



L. B. S.

Menso Cursus Academici stadio, haud potui se-ligere utiliorem Inauguralis Disputationis ma-teriem, quam penitorem gravissimorum Affe-tuum præternaturalium considerationem, quæ in praxi mox suscipienda lucem præferre queat haud mediocrem; eam igitur nunc, invocato Supremi Numinis auxilio publico Examini sistimus.

De relatis ad Ventriculum atque Infestina affe-tibus præternaturalibus.

Naturaliter cibos moderate appetit homo, ut sit proportio inter appetitum assumtaque, & vim ventriculi coquentem ac præparantem chylum; in statu autem præternaturali appetitus frequenter nimium increscit, ut cibis Ventriculus non satietur, sive solidi illi siccioresque sint, sive & liquidiores, hæc enim esculenta tenuiora, ac juscula, cum statim diffluant, pergantque ex ventriculo, multo minus satiare eum valent tam valide ac nimium appetentem. Alia ratio est sitis immodicæ, quæ plurimorum symptoma morborum ad nimium ci-bi appetitum referri non debet, alio nixa principio.

Sæpe vero immodicus est appetitus sine notabili morbo, imo & sine noxa, multi enim ex consuetudine inde ab ipsa juventute largissimo replentur cibo, ipsa vero distinctio in appetitum simpliciter nimium, & caninam appetentiam, ubi largissime ingesta vomitu rejiciuntur, atque bu-

limum seu bulimodem appetentiā cum exsolutione virium & deliquio
conjunctionē, exiguam habet utilitatem.

Cæterum hic appetitus cibi præternaturalis cum fame non coincidit, neque gradu tantum differunt, sed causis & re ipsa quamplurimum; cum & ii appetitum mox pristinum s̄evire sentiant, qui modo ventriculum cibis ad nauseam usque repleverunt; inanitas illa peculiaris est, ac famis sensus a naturali appetentia multum abit, quæ & ipsa inæqualiter diversos homines, diverso vitæ generi deditos, diversæque indolis afficere solet diversimode; unde nec ad morbosam hanc famem referas vividum istum appetitum, quem sentiunt convalescentes ex febri, strenue laborantes ac fatigatos, acidulas haurientes largius, similesque. Sed insolita est illa voracitas præternaturalis, quam hic consideramus, varios cacochymicos, cacheeticos, hypochondriacos, quartanarios, quin & homines ad aspectum externum haud ægrotantes affligens, imo ipsi heretici voracitate tali nonnunquam corripiuntur, neque enim omnem eorum appetentiam largiorem huc referrem.

Causæ allegantur variæ, a nonnullis nimius calor agens in alibile humidum & fortius depascens, ab aliis Archeus robustior prospecturus futuræ necessitati, vel timens destructionem sui, alii mentem quoque laborare prætendunt, etsi istæ forsan rationes minus videantur habere locum; qui vero acidum volatile, vel & fixum magis, imo & duplicatum quasi, seu immoderatum ventriculi fermentum accusant, omnes dubio procul innuunt, stimulum fieri atque invitationem ad cibum quærendum naturali acriorem ac vehementiorem, fortiorum ut veteres loquebantur suctionem, quibus nescio an recte jungant ventriculi atque intestinorum in parietibus suis subsidentiam & corrugationem, cum hæc potius videantur magis ab ingesto cibo largissimo distendi.

Prodeße dicuntur a scriptoribus primario substantifice saturantia, cibus scilicet atque esculenta ac potulenta varia, verum hæc potius oberunt, si largius paulo, & ut aliquo modo ægri nimiis desideriis satisfiat, porriganter, exhibenda potius per intervalla, creibius at parcus; commendantur & pinguia, quia creduntur appetitum obtundere, h̄ic vero vix apta huic scopo, cum bilem potius augeant excitentque. Commendant & exterius odorifera. Ea vero remedia commendantur maximè, quæ acidum enervant, absorbent, præcipiant; uti terrea & alcalina, affiniaque stomachica. Qui vero mentem labo-

laborare dicunt, forsan respiciunt ad depravatum in Pica appetitum, ubi sane difficile s̄epe fuerit, absurdorum desideriorum solidam quandam indicare causam, cum delicias quærant inveniantque non in sapidis modo objectis sed & maxime insipidis imo nauseosis.

De siti vero nos haud acturos jam diximus, notum enim est, eam oriri præter naturam non a denegato potu, sed a calore & siccitate, in solis s̄epe faucibus ob glandulas ibi & in gula obstructas, in febribus plerumque intensissima, blando fluido liquidoque lymphatico in sanguine vel deficiente, vel ad primas vias non abundantter confluente, & sanguini magis, ut loquuntur, incocto; largi etiam sudores eam augent, cum tamen & in morbis minuant; post purgantium operationem sitis frequens. Cibi falsi, acres, aromatici irritant sitim. Hydropici quoque acriter torquentur hac liquidi noxia ipsis appetentia nimia. Licet vero quandoque sibi indulgere, plerumque tamen tutius est eam fallere, porrigendo frequentiores sed parciores haustrus, nitrofa, acidula, humectantia, demulcentia fauces & gulam, prout scilicet ab acrimonia seri, aut fervore sanguinis, aut defecitu humidi oritur.

Chylificatio læsa ac ventriculi debilitas haud semper coincidunt, utraque vero potest conjungi & cum nimio appetitu, & cum appetitu remisso & dejecto; ventriculus enim & appetitum operatur & cibi coctionem, utrumque læditur variis ex causis. Sæpe appetitus immunitur, ut nec desiderent cibum, nisi forsan languide, vel & magis aversentur, aut saltem nullum desiderent ægri, non verò fermo est de aliis morbis, quorum hoc est symptoma ordinarium ferè, carnibus mox aliisque cibis palato ingratis redditis, demtoque appetitu, sed de ægris solum ex ventriculi vitio ac cruditate cibos non appetentibus, imo & nauseantibus; sive errores, excessusque diætæ præcesserint, sive minus; in copia scilicet cibi, promiscue ingesti, crudi, dyspepti ad nimiam usque ventriculi distensionem, & gravationem. In abusu spirituum ardentium, tabacini fumi, ciborum pinguium, crudorum ac salium alcalinorum, imo & opiatorum, & quod gravius queat nocere, saturninorum remediorum. Hinc virium lassitudo, ac debilitas corporis, color faciei pallidior, alvinæ excretiones naturales vix manent, imminuitur, si duret malum, corporis habitus, non sine indiciis collectæ sensim cacochymiae; in senibus potissimum, quorum languidior tonus, calor remissior; dantur tamen & senes, qui cetera satis debiles, vigorem ventriculi atque appetitus quam maxime servant.

Frequenter tamen in opere suo sive coquendi, sive triturandi, sive extrahendi ventriculus deficit appetitu licet non deficiente, imo plus, quam par est, urgente; inde cruditates & acidæ, & in aliis nidorosæ, ructus varii, molesti, insipidi, acidi, ingrati, nidorosi, murmura ventris, nauseæ, flatulentæ ventriculi tensiones, pressiones, gravationes, stricturæ, capitis obnubilationes per consensum, vertigines imo & quandoque vomitus, cibo non abeunte in chylum laudabilem, sed nimium laxioribus ventriculi fibris laborem exhibente, cui tum minus pares sunt. Crudior est urina, & saepe aquosa, limpida. Quod vero in classe causarum adscribitur, Archeo aberranti, alibi occupato, debili, id clarius forsan spirituum defectui ac dissipationi, fibrarumque atoniæ adscribitur. Neque caloris præcise vel augmenta vel decrementa id efficiunt, et si conjungantur, lympha potius salivalis, & ventriculi propria si viscidior, inertior, obrutaque sit mole cruditatum, plurimum huc contribuit, ineptum enim tum menstruum est pro cibis solvendis & extrahendis, si maxime justo affluat secernaturque, a sanguine parcior, aut sit vappescens, aquosior, serosa acidove præternaturali ingrato, ac nauseoso tincta, vel & bilis regurgitantis moleculis infecta, ac corruptis ciborum reliquiis in pravum viscidumque abeuntibus liquamen; spiritibus maxime alio insumtis, fibris musculosis ventriculi laxioribus existentibus, minusque se vivide ac robuste stringentibus, ad quassandum blandius cibum chymumque: unde id quod in cibis est gelatinosum, laudabile ac nutritium, non recte evolvit, aut a partibus feculentis avellitur, sed succus crudior, impurus, viscidior, flatuum scaturigo ac fomes producit, acescentibus succis, vel incrassatis vel cum bile in pravum confortium ruentibus & degenerantibus. Stomachica hucque convenientia remedia non ejusdem omnia dignitatis sunt, stomachica ipsa eligenda temperata, ad causæ calorem, acrimoniam, lentorem majorem minoremque attemperata, tonica, carminativa, absorbentia, confortantia, balsamica, interna & externa. Evacuantia quoque prudenti consilio data, cumprimis, emeticis requirentibus solidum Medici judicium; quæ & circa appetitum dejectum commendanda sunt. Nimis tamen calidis non fidendum; multi enim dum volunt ventriculum confortare, viscera, succos, naturam ipsam corrumpunt, debilitant, destruunt.

Cardialgia nomen plures sub se complectitur affectus, qui tamen omnes molesti sunt ventriculo ejusque sensum graviter afficiunt, et si ad viciniam quoque se extendant ob communes innexosque nervorum

rum surculos. Gravissimum est ex iis malis , quod ita describunt autores , ut pateat , esse id conjunctum cum inflammatione , doloremque illi esse adscribendum , sufficientem pertinaciter locum affectum ac dolorificum instar ardoris prunæ , de quo tamen non est , quod multa loquamur , cum & rarer sit , & siquidem in morbis subinde tanquam gravissimum atque ultimum quasi symptoma occurrit , nihil fere Medico relinquitur , nisi symptomatum tentetur modo omni possibili mitigatio , & ad euthanasiam conciliandam concursus , cum malum tum incurabile sit , si in plenam inflammationem res devenerit.

Quandoque cardialgia sensum imprimit ventriculo ardoris , unde & vocatur ventriculi ardor , variosque habet gradus , cum & sanos saepe graviter post certa ciborum potuumque genera adurat circa gulam , ac ventriculi orificium superius , alii vero gravius , diutius , frequentius ista patiuntur , ardore se vel latius extendente , vel angustiore circumscripto limite . Alii dolorem saltem sentiunt gravativum , prementem , & ratione diversorum quoque graduum ac modorum sensibili satis ratione molestiam creantem ægris . Alii vero exquisitiorem patiuntur dolorem , & valde acutum seu sensibilem , maxime circa scrobiculum cordis , ita tamen ut nec reliquum epigastrii spatium excipiatur , imo penetrantissimus saepe urget dolor in ea dorsi regione , quæ superiori ventriculi respondet orificio . (imo & ardor seu fervor ille adurens æque ac aliæ species ad ipsam quoque gulam extenduntur assurguntque & versus ventriculi quoque latera acute satis & penetranter torquent .) Neque in tali dolore semper res subsistit , et si in se molestissimo , gravissimoque , sed in malo graviori ac spasmodico viciniam quoque invadit , hinc videoas quoque exempla , ubi talis spasmodica cardialgia conjungatur quasi cum asthmate spasmodico , pluribus nervorum plexibus æqualiter irritatis , & tristi copula conspirantibus ad summos dolores , ingentesque simul anxietates , & respirationis læsiones , ad sudores usque etiam frigidos & extremorum frigus non raro cum turbato pulsu ac frequenti , cordis palpitatione , ut ferè immineant deliquia in malo ultra modum austro . Etsi longe frequentiora sint ista dolorifica ventriculi mala sine tantis tamque gravibus symptomatibus .

Audias accusari inter causas acidum rodens biliosum , fibrillas nervas ventriculi vellicans , ac distendens ; neque dubium est , ardoris illum sensum acrimoniæ speciebus variis deberi , non præcise acidæ , sed & biliæ , utut non acidæ , imo forsan frequentius enixæ , ac sui generis acri cruditati ,

ditati, adurenti teneras stomachi fibrillas; & eadem sane spicula cæteras quoque hujus visceris dolorum species possunt efficere, etsi non distendendo, tamen irritando, vellicandoque; sunt qui Mechanismum huc referunt in dulcibus, pinguibusve observatum, censemque fixiorem cruditatis partem inferiore magis ventriculi loco ciere dolores, id vero quod sit flatuosius, grossius tamen, distendendo efficere cardialgiam proprie sic dictam circa sinistrum ventriculi orificium, subtiliorem vero portionem in bullas quasi elatam ac intumescentem altiusque assurgentem, ardorem magis superficiarium inducere. Nec negandum quidem est, ardoris sensum sæpe altius assurgere, ut fere judices acres quosdam halitus ascendentis gulæ canalem eo fervore adurere; cæterum ubicunque se applicet acri monia ad ventriculum, ac sive illa fixior sive volatior tenuiorque fuerit, omnes istos dolores poterit efficere, etsi diversos inde nasci modos gradusque nemò inficitur; hinc & sua habent intervalla hi dolores, nec continui sunt plerumque illi stimuli; multumque eo contribuit præsentia flatuum, datur enim & cardialgia solis adscribenda flatibus, qui tendendo potissimum fibrillas graviter afficiunt, & sæpe, æque ac solent alias acria ac pungendo irritantia, spasmodicam quoque suscitare valent Cardialgiam, quæ & gravissima est in teneriore maxime ventriculo; cuius sensilis tunica, si nudata magis, tomentoque suo blando haud satis fuerit obiecta, instructaque, facile & ab assumtis, & a cruditatibus ipsis inhærentibus nova semper dolorum metuenda sunt incrementa. Ut vel hinc patet colicæ & cardialgiæ insignem esse convenientiam, cum in illa eadem ratione intestinorum canalis, continuatus scilicet Ventriculus, eademque ferè gaudens structura ac sensibilitate, graviter ab acribus, fibras crisan tibus, spasmos excitantibus humoribus, flatibusque afficiatur.

Diætæ errores cum primis cardialgiæ ansam præbent, cibi flatulent i, dyspepti, nimii, ac proin in ventriculo haud satis subacti, immutati que in bonum succum, acres, acidi, pingues, cerevisia vel feculenta, vel acri, vel alio pravo charæctere tincta, vinum acidum, austерum, quandoque & nimis generosum in tenerioribus &c. abusus purgantium & Emeticorum maxime; venenatorum, imo venenorū ipsorum assumptio potissimum gravis excitatione cardialgiæ infamis est; ipsi quoque spiritus acidi, saturnina medicamenta, nimisque styptica, ac ponderosa copiosius assumta; imo in teneris subjectis vel illa excitabunt sæpe dolorem, modo sint insueta, quæ aliis eum potius sustulerint ac sopiverint.

Gravidæ etiam fœminæ ab ardore gravissime & diu sæpe torquentur; hypochondriacorum cardialgiæ flagellum sunt certissimum, non tam omnium. Et quid est, quod veribus hic potentius sit in nocendo, soli hi omnem istorum dolorum tragædiam possunt in tota sua latitudine exhibere; in hydropicis gravia hinc ultimis vitæ temporibus tormenta observavimus; ut non dicamus de dysentericis, aliisque casibus, ubi ventriculi jam erosiones, inflammationes vel accessere, vel minantur; neque est fere morborum, maxime febrilium, genus, cui ista ventriculi incommoda se associare haud soleant. Quidam cibo assumto gravius patiuntur, aliis jejunium est molestum, cibo sedante dolorem. Junguntur quoque sæpius inflationes hypochondriorum, ipsius ventriculi, imo & abdominis. In malo tam late patente remedia multiplica suppetunt. Emetica ubivis in fronte collocata quasi cernimus, sed caute sane cum illis mercandum, nisi nocere magis, quam prodesse velis; idemque circa purgantia monendum, ubi mitiora feligenda, quæ nec ipsa in casu promiscue quocunque reperiunt locum, ob delicatum ventriculi sensum; tutius mitia carminativa, stomachica, absorbentia, terrea, præcipitantia, nervina, blandiora aromaticæ, tonica, temperantia, diluentia, paregorica, papaveracea, castoreata, cinnabarina; circa spiritus & essentias huc spectantes notandum, eas utpote cum vini spiritu paratas ac sæpe egregias, non semper habere locum in causa calida, ac ardore illo, qui & alia subinde remedia stomachica calidiora paulo atque acriora excludit. Conferunt quoque symbolum suum inunctiones cum carminativis blandis ac balsamicis; balsama, sacculi varii, emplastra stomachica &c.

Singultus est spasmus, & motus quidam convulsivus ventriculi, & consentientium cum illo, ob communes nervorum plexus partium, ipsa enim etiam præcordia afficiuntur, cum non solum orificium ventriculi sinistrum valde sensile irritatur, sed & diaphragma atque cum hoc ipsi quoque pulmones afficiuntur per consensum; licet præcise vix dixeris sursum contrahi œsophagi nerveas fibras, diaphragmatis vero & consequenter asperæ arteriæ fibras deorsum, unde aeris explosio illa sonora contingat, isti enim spasti explosivi sursum magis unanimiter tendunt; sive flatus inclusi ventriculo ansam singulti præbeant tensione sua, sive acrimonia humorum ac cruditatum fibras eo urgeat ac laceffat, sive hæ ipsa sua atonia occasionem & quasi stimulum præbente moliantur istos spasmos.

Scilicet & hic latitudo obtinet summa, & insignis graduum varietas, manifestus semper est singultus, sed latet sub isto sono causa, nunc levior, nunc gravior, nunc gravissima, extendit se concussio ad tres etiam ventres moleste satis, centrum vero suum ac fomitem quasi circa cordis scrobiculum ac sinistri orificii confinia obtinens. Leviusculum vero quandoque & per vices, satis etiam sanos vexat, a ructibus tamen & in iis probe distinguendus singultus, cum ructus non supponant spasmos, sed quamcunque aeris seu flatus in ventriculo conclusi versus superiora propulsionem, factam, vel a robore fibrarum, vel occasione atoniæ ipsius, vel a domestico flatum elatere, etsi nemo forsan negaverit, posse a striatura spasmodica expelli sursum aerem ex ventriculo, sicque combinacionem singultus ructuumque fieri. Aliquando vero graviter & diutius affligit, non respirationem modo turbans, praecordia concutiens, ac dolore afficiens, cum virium etiam debilitatione, somni interruptione, ardoris & cardialgiæ coniunctione &c. In infantibus frequens est malum, haud æque noxium, solenne ipsis ob teneras sensilesque fibras, & ventriculum cibis nondum assuetum. A cibo nimio, a pauciore potu, variisque causis oritur alias, a cruditate quoque acri, biliosa, acida, viscidophlegmate, flatibus, nimia vini ingurgitatione, cibi immodica assumtione.

Gravius est malum, cum accedit ad morbos alios & periculosos, ut in hypercatharsi, ac in dysenteria, ubi equidem non desunt exempla eorum, qui praesente licet singultu evaserunt, interim tamen plerumque tristissimum est symptomata ac signum; magno saepe ardore & anxietate singultum comitantibus; unde semper gravia minatur in morbis ab inaniatione, in gravioribus ac largioribus hæmorrhagiis, item in affectibus nervorum, spasticis, hysterics, epilepticis, motibusque aliis convulsivis; in vulneribus ac inflammationibus cerebri, & in aliorum quoque viscerum inflammationibus, diaphragmatis scilicet, hepatis, renum, intestinorum in ileo &c. quando oritur a cartilagine ensiformi depressa, a vertebris luxatis &c. periculum quivis agnoscit; idemque agnoscendum, cum supervenit singultus febribus malignis. Ubi tanto cum periculo conjunctus est singultus, vix amplius cessat, donec fatigant vires; alias vero inæqualiter nunc mitius, nunc pertinacius affligit, ac per intervalla. Hinc & mitior facile solvitur, solo quandoque potu, imo spiritibus vel sola ad alias res attentione majori & fixiori avocatis ab istis nisibus spasmodicis. Sæpe dimissis, qui tendebant ventriculum irritabantque, flatibus statim cessat; nonnunquam vomitu solvitur; quid terror, aliquæ animi

motus in cohibendo singultu valeant, æque ac cohibita respiratio, tota die observare licet; cum vero sternutatione solvitur, tum nova ac vehe-mentior, plurimumque partium explosiva strictura hanc priorem delet, spiritusque alio vocat, & fibras ad aliam melioremque reducit tensio-nem.

Ex supra dictis evidens est, non eandem medendi rationem nec remedia eadem cuivis singultui convenire. Emetica dubio procul quando-que saburram illam excitantem possunt ejicere, neque tamen promiscue ideò danda, cum tot in casibus nocere magis queant quam prodesse, maxime in atonia ventriculi quæ ansam malo sæpe præbet, debili exi-stente ventriculo, qua fibras suas earumque tonum; & cum symptomaticus est singultus acceditque in statu gravissimorum morborum, quis nisi in-epitus daret tum emetica? Vel purgantia quæ cautissime quoque exhibenda; aloetica, myrrhata, aliaque amara, uti rhabarbarata laudem merentur in malo leviori, ubi ea licet exhibere. Alias magis confugimus ad nervina confortantia, demulcentia, temperantia, tonica, stomachica blanda, cordalia, bezoardica, carminativa, paregorica, papaveracea, mitissima opia-ta, (fortiora non nisi tutioribus reservando casibus, viribusque integris:) castoreata, cinnabarina &c. vesicatoria, revellentia alia, siccæ cucurbitulæ, erunt subinde proficia; externe balsama varia, sacculi, inunctiones, ca-taplasma roborantia, nervina, paucis, stomachica. Respiciendum vero & est ad causam calidam, vel frigidorem, ut rite assignes remedia, mul-tum enim hic quoque hic respectus valet.

Vomitus perversa ventriculi actio est, cum enim hic naturaliter constrictis leni peristaltico motu fibris suis muscularibus versus inferiora urgeat, moveatque sua contenta, ita in statu præternaturali ille motus nisusque plane pervertitur, ab inferioribus versus superiora tendit, eoque protrudit contenta sua, non sua tantum propriaque vi, sed & diaphragma-tis nisibus, conatibusque muscularum abdominis concurrentibus, neque enim motus illi facta irritatione in uno sistuntur loco, sed quemadmo-dum nascuntur in diversis sæpe, ita ad plures se extendunt ob communes nervorum plexus, spasmodica constrictione in ventriculum potissimum concentrata, qui sub illis spasmis (semper enim convulsiva actio est vo-mitus, et si gradibus, ac facilitate diversissima distinctus:) ejicit sursum contenta sua, vel in se collecta ipsa, vel ex duodeno in ipsius cavum eodem inverso peristaltico inferioris istius canalis motu regurgitantia ac

propulsa. Iste vero spasmus a molesta irritatione spirituum ac fibrarum oritur, facta a cruditatis ventriculo inhærentis acrimonia, aut mole eum gravante vel cibi, vel succi cuiuscunque pravi, vel bile desciscente & huc appellente, aut acescente, imò & inspissata, aut a flatibus varie tendentibus ac lacescentibus fibras; aut irritatione aliunde petenda, & huc propagata, ex ipso capite atque a nervis, & spiritibus per varias ideas nauseabundas, vel etiam ventriculo haud gravato, nec propria culpa paciente, per communicatos aliunde ex variis regionibus corporis stimulos, uti a renibus frequenter fit in nephritide, ab utero in hystericis affectibus, a capite quoque, ex hypochondriis &c. Excernitur varia, quæ ventriculum tum occupat, illive ingeritur ex ventriculo quasi continuato, duodeno scilicet, materia, nunc acida, nunc falsa, nunc amara, nunc austera, bilis, pituita, serum, cruditates, variii coloris, pro corruptionis gradu ac causis; sæpe sola etiam pinguedine excreta, quam collegit; qui subigere eam reliquisque succis incoquere haud valuit ventriculus; sæpe cibis, & medicamentis modo assumitis retentis, & rejectis humoribus aliisve cruditatibus, ut vix capias, qui unum possit rejici tam violenter, retento tamen altero in eadem cavitate contento.

Non raro quidem utiliter, & cum emolumento, & subinde criticè contingit vomitus, ejiciens id, quod molestum erat, aut graviter, si fuisse retentum, nocere poterat. Sæpe tamen & symptomaticè, & cum gravi ægri afflictione, quin & periculo contingit. Frequenter fiunt conatus quidam vomendi inanes, nulla ejecta materia, quem conatum alii appellant nauseam, et si haud conveniat confundere nauseam cum conatu vomendi, sæpius nausea Vomitum præcedit, sæpe eum procurat atque excitat, sed ipse conatus vomendi est a nausea diversus ac probe proin distingendum. Vomitum vero appropinguantem annunciat nausea, largiore salivæ ad os confluxu simul contingente, anxietatis sensu præcordiis incubante, eaque stringente etiam; saliva illa ad os confluens varios, ac nauseabundos offert sapores; est vero distinctum quid a vomitu aquæ ex gula, ubi magnis conatibus non tam evertitur Ventriculi musculus, aut propelluntur ejus contenta, sed stricturis circa gulam magis terminatis, ex glandulis ejus extorquetur lympha abundantior profluens ex ore, mane comprimis, distincto a vero vomitu affectu; ut vero redeamus ad institutum, confluente ita ad os suis ex glandulis spasmodicè strictis saliva, tremunt quoque labia, ardor diffunditur per corporis ambitum, rigoribus mixtus,

mixtus , frigent imo extrema , vertigo percipitur , videturque s^ape quasi deliquium imminere ; quandoque cardialgia præcedit , aut ructus , imo & singultus , aliique molesti circa ventriculi regionem sensus , prout æ gri facilius vomant , vel difficilius , hic enim ingens observatur discrimen , imo ita quandoque stringitur ventriculus , ut ejectio contentorum potius impediatur , evadatque magis dolorifica , ab junctam versus superiora constrictione ; quidam digito faucibus inserto , linguaque pressa promovent vomitum , si succedere nolit ; ejiciuntur vero contenta ventriculi plerumque cum impetu & confertim , magno in aliis conatu , in quibusdam fere nullo ; uti lac evomunt infantes adeo innoxie , vel cum fructu potius , ut dicatur vulgo , id æque nutrire ejecum ac retentum . Egeruntur nunc modo ingesta , cibi & potus , cum cruditatibus succisque pravis , acidis , amaris , corruptis varie mixti , vel & hi soli sine cibis , crassi , viscidi , tenues , aquosi , acidi , amari , falsi , nidorosi , insipidi quandoque &c . hypochondriacorum maxime vomitus sunt singulares , etiam quæ excreta , s^ape tam acidi , ut stupefiant dentes , s^ape austera amaritrie ingrati , obscuri s^ape coloris , ut supra jam dictum , pingues ; a fascino mira leguntur per vomitum rejecta , qui utut hodie vocentur a pluribus in dubium , tam certa tamen firmata sunt experientia , ut frustra cum incredulis disputetur ; et si nolimus insecta omnia hac via exclusa ad magiam referre , ut de illorum productione multæ adhuc gliscant lites .

Notum vero est , vomitum oriri a potu nimio , à tepidis summis aquosis , ac simul pinguibus copiosis , a variis assumptis data opera emeticis , quæ inter hodie obtinet primas hypcacoanna ; tabacum minus affuetis vomitus quoque fumo suo ciet ; idem quidam observarunt ab opiatibus , aliisque etiam acribus , purgantibus quoque , quæ præter intentionem s^ape stimulo suo sursum adigunt ea , quæ continentur cavo ventriculi ; de venenis res est notissima ; de ira animique vehementibus aliis affectibus suppetunt quoque observationes ; nausea frequentissimè dat ansam . Qui navi videntur vehementer vomunt , non tamen omnes , quidam etiam rheda veclii id patiuntur . Gravidarum plurimæ diu his tormentis sunt subiectæ , in febribus variis frequenter accedunt vomitus ; qui & præcedunt subinde varios morbos febriles , variolas quoque & morbillos ; affectibus spasmadicis s^ape jungitur , colicæ cum primis spasmadicæ , sed & biliosæ , nephritidi , calculo , uterinis affectibus , chlorosi , vulneribus , maxime capitatis supervenit ; pluribusque aliis morbis . Aliquando diu per periodos

durat; & recurrit, aliquando paucis absolvitur egestionibus; si diutius, graviusque affligat, exhaustit corpus, multumque debilitat, variam induens cacochemiam. Vitia conformatio[n]is ac solutæ unitatis post mortem detecta tacemus.

Cum de remediis sermo est, non exigua de emeticis occurrit disceptatio, ajunt enim naturam sursum tum vergere, ejiciendum ergo penitus id quod gravet eam; neque inficiabimur, dari casus, ubi nauseante ventriculo, nec satis succedente ad plenam evacuationem molestæ copiosæ, tenacisque cruditatis vomitu, novo quasi stimulo in robustiori ægro opus videatur; plerumque tamen id minus erit extra hos casus tutum, maxime in conatibus vomendi symptomaticis, ubi inepte in gravissimis sœpe malis, viribus jam exhaustis, recurri quandoque videoas ad emetica, ne quid scilicet relinquatur intentatum; unde prudentiores, si quidem adsit, quod removendum videatur, purgantia mitiora præferunt, quæ & tonica simul sint, ex rhabarbarina atque aloetica familia desumpta; plenius tamen rem pro varietate casuum efficiunt stomachica, confortantia, nervina, mitia aromaticæ, absorbentia, terrea, subinde & paregorica, papaveracea, anodyna, ipsaque opiata, ac frequenti usu theriacalia. Exterius sacculos, emplastra, balsama, cataplasmata roborantia adhibemus, aromaticæ, adstringentia &c.

Cruentus vomitus, quoad ejectionis mechanismum & spasmodicam illam ventriculi contractionem originem indolemque agnoscit eandem; aliis tandem vomitibus plerisque periculosior ob dignitatem materiæ ejectedæ, ac conjunctam plerumque sanguinis pravam, imo & viscerum haud raro dispositionem; etsi enim quandoque mulieribus obstructis mensibus accidat sine multo periculo; alias tamen & his, & viris maximè gravissimè minatur truculentum symptomæ, cum inopinato largissima impetuoso vomitu sanguinis effundatur copia, grumosa potissimum ac nigricans, quandoque tamen & fluidior, secedente per alvum sub idem plerumque tempus atro quoque & uberiore sanguine; hypochondriacis plerumque transcribuntur isti vomitus, neque tamen illis solis competunt, etsi lieni potissimum, ejusque cum ventriculi nexui adscribendi potissimum, sequuntur potissimum obstructionem hæmorrhoidum, variasque in ipsis regionibus aggestiones, indeque factas metastases; in dysenteria quoque subinde talis observatus est vomitus; maxime autem oritur in cacochemicis, qui ex malo hypochondriaco, vel diurno vel

neglecto tales evasere ; quamvis & dentur juvenes ex æstu sanguinis, atque orgasmo peculiari obnoxii malo tam gravi, recurrenti etiam in nonnullis per periodos, indicio plerumque tristiori qua eventum futurum. In casu ab alto, aliisque externis violentiis conjungi quoque potest ; plerumque cum magna fit ægri debilitate, adeo, ut & deliquia, eaque gravia, conjungi excretioni largissimæ, ac abundantissimæ observaverimus. Vasa scilicet ventriculi rumpuntur alicubi, sive erodantur ab acrimonia quadam, sive ab orgasmo distendente, aut ipsa aggestionis copia rumpantur ; ad minimum scrutinia post mortem anatomica in aliis inflammationes, obstructions, in aliis corrosiones & continui solutiones, & cum primis viam sanguini apertam ex vase brevi in ventriculum patente, ramoque ejus ampliore ostenderunt. Venesectione in pede inter remedia primo plerumque loco ponitur, ut sic revellatur ab ista ad ventriculi cavum tendentia sanguis ; internè verò stomachica, nervina, resolventibus atque adstringentibus prudenter combinata plerumque cum fructu adhibentur, nisi nimia, quæ occupat corpus, cachexia, opem excludat omnem..

De alvi circa excernenda vitiis.

Choleram primo nominamus loco, et si illa non per alvum modo, sed & per vomitum simul impetuose se exerat, variis quoque gradibus, pro subjecti ac causarum diversitate. Subito invadit vehemens hic afflatus, nullas concedens inducias, sed sursum deorsumque vim humorum ingentem ejiciens confertim & cum impetu, ac si emeticum simul purgansque medicamentum fuisset assumptum, ejectis humoribus nunc acidis magis, nunc biliosis, serosis, spumescientibus quoque sub tanta fermentatione quasi & agitatione ac quassatione ; varia scilicet heterogenea corruptæque cruditates cum feculentiis sese uniunt & excernuntur, modo naturam vehementer turbante, ac graviter ob impetuositatem affligente & torquente, hinc gravis præcordia quatit dolor, ac cardialgia stringit epigastrii regionem, variæque stomachi strictræ dolorificæ admodum, hinc dolores variii etiam abdominis, tormenta, distensiones a flatibus conjunctis, ac tumultuantibus elatere suo sub istis turbis, anxietas insignis occupat ægrum, magnæque inquietudines, accedit subinde frigus, ac horripilatio, mox calor atque æstus, vires subito debilitantur, turbatur caput, vertigines obrepunt, tinniunt aures, jungitur & sitis humido tam largiter ac celeriter excreto ; acutum est malum, occultæ sæpe malignitatis, ma-

ximè latente visceris vitio , nervi quoque graviter afficiuntur , ut spasmī etiam immineant quandoque , & non infreueenter deliquia accedant , eva- cuationibus tam subitaneis subito exhauiuentibus vim corporis omnem ; hinc & brevior est affectus & acutè in partem quamcunque terminandus , cum diu natura par esse non possit tantis nisibus ac tam violentis citatis- que egestionibus.

Et hinc facile patet , quo sensu dici possit cholera hypercatharsis intensior & duplicita spontanea , cum & hic proprie loquendo nihil sit spontanei , sed quod in hypercatharsi est excessiva medicamenti purgantis dosis , aut vehementia , id in cholera esse solet ejusdem indolis , summæ- que acrimoniae humor , isque justo copiosior , genitus tamen in corpore , atque ad illam acredinis *άκρην* evectus , ut partim turbare humores re- liquos , illisque vim quandam quasi fermentantem possit inducere , cum maligna quadam turgescentia peculiari , cuius acrimonia salina , ac biliosa vellicans totum intestinorum ventriculique canalem misere laceſſit , lani- atque , ut insurgant spiritus , constrictisque fibris glandulas urgeant ad se- cretiones abundantes seri acriis , quod tamen per eosdem humores feroci- entes acres redactum est in statum quandam fusionis , sub quo uno impe- tu ad irritatos intestinorum parietes appellit ac protrudit , stimulo mon- strante viam ; bile in ipsis turbis non otiosa , sed partim agente abundan- tia sua atque acredine , partim paciente , utpote suo ex folliculo sub illis stricturis violentius excussa atque extorta , uti & pancreatico accidit suc- co , omnibusque hoc confluentibus rivulis , qui omnes augent terribilem hanc excretionem , partemque ejus constituunt ; sic omnia ad effectum adeo violentum conspirant , sub ista præcedanea in corporum pravorum succorum cumulatione ac degeneratione in statum pessimæ corruptionis ; neque mirum proin est & sursum & deorsum ejici varias cruditates ac fe- culentias , cum & talium humorum in statu illo fusionis massæ sanguineæ per collectos acres & quasi venenatos succos (tales enim & in corpore gigni possunt summeque exaltari) copia adsit abundans , & consequenter stimulus ubique sursum , ac deorsum applicatus ac laceſſens indesinenter , neque videtur opus , ut recurramus ad volatilitatem acidam spumosam , quæ efficiat ut sursum , ac biliosam , qua deorsum urgeatur ejiciendus humor , ille enim etsi fixissimus sit , idem tamen efficiet , modo stimulus irritave- rit satis fibras , ac ventriculi nauseam intendant crudi corruptique hu- mores , unde & nolim peristalticum motum circa duodenum velut divi- sum &

sum & alternantem supponere, cum hæc actio excretoria violenta & sursum, & deorsum motui peristaltico nulla ratione sit adscribenda, qui est motus blandus naturalis ac tardus, hæc vero omnia in his formidandis casibus atque excessibus fiunt a spasmodicis constrictionibus ventriculi & intestinorum, imo & partium vicinarum, qui convulsivi motus toto cœlo differunt a peristaltico.

Etsi vero istiusmodi venenati quasi humores in corpore gignantur, diætæ tamen potissimum erroribus sunt adscribendi saltem remotius, excessibus in vino, ac copia ciborum promiscuorum, acrum, crudorum, tempestatum quoque noxiarum subitis mutationibus, frigori, cereberrime æstivo calori excedenti, fructibus horæis, cucumeribus, melonibus, lacticiniis, fungis, recentibus, acidisque vinis, pravæ cerevisiæ, purgantium ac emeticorum non recto usui, iisque minus tutis in substantia datis, &c. humores enim etsi jam in corpore collecti, plerumque opus habent aliquo excitante, quod & occasionem præbet eruptioni tali per modum furentis cholerae; cæterum a tali prava diæta sensim quoque tales gignuntur ac cumulantur succi pravi, ut postea sæpe sine manifesta causa oriatur cholera etiam vehementissima, cum satis illi fuerunt cumulati, talesque efferæ humorum in corpore commotiones & turbæ possunt oriri citra omnem alium morbum, cui tamen sæpius etiam accedunt, ut febribus tum continuis, tum intermittentibus, aliisque morbis, etsi probe distinguenda sit cholera, ab evacuationibus aliis in morbis contingentibus, vel symptomaticis, vel etiam non raro criticis. Sæpe tales excretiones facile cedunt remediis, humoribus tamen magis efferatis potius augmentur a remediis anxietates, quam tollatur malum, si maxime remedia minus congrua fuerint, ventriculo non grata, vel nimis adstringentia, ante tempus opportunum exhibita, neque enim licet statim vi quadam cohibere hos motus, has ejectiones, has furias, sed indulgendum ipsis tantisper, interpositis si liceat, ob continuos nisus roborantibus; externis saltem strenue agendum, succurrendumque naturæ laboranti, fotibus calidis, linimentis, inunctionibus spirituosis, balsamis, emplastris, sacculis, epithematibus etiam theriacalibus; etsi sæpe nihil tale ferat malum adhuc ferociens, sed omnia respuant ægri, anxii summè; tentandum tamen sensim sensimque, an ferat aliquid ventriculus, an retineat quædam in intervallis, quod exiguis bolis, imo paucis pillulis tentandum, donec paulo largiori dosi admittant bezoardica, confortantia, theriacalia, paregorica,

rica, adstringentia moderata, anodyna blanda, nervina ac præcipititia; caute tamen omnia exhibendo, ne denuo irritentur fibræ ad nifus novos excentricos, prioribus vix sedatis, ac facile adhuc residua dosi quadam acrimoniae in primis viis, quæ novæ materiam tragædiæ haud difficulter suppeditaret intempestive irritata, inde & summa, si per anxietatem liceat decubitus, quies est commendanda.

Et hanc quidem *choleram* vocant scriptores Medici *humidam*, aliam quoque *siccum* allegantes, ubi ex turgescente humore haud adeo copioso exsurgant flatus, resoluti in gas orgasticum, tintum biliosis acribus particulis, sursum latis, cum dolore ac distensione, alvi potius adstrictiore, qui tamen status flatulentus mox ipsis circumstantiis a cholera distinctissimum exhibit symptoma ad colicas potius affectumque hypochondriacum alegandum.

Diarrhœa vocabulum amplam habet significationem, tanquam genus multas sub se complectens species, quæ vero strictius ita dicitur alvi egestio fluidior, crebriorque, eo ipso statum denotat præternaturalem, quo excrementa moram in intestinorum gyris sufficientem trhaentia eam sensim consistentiam nanciscantur, quæ commodæ illorum statis temporibus excretioni faveat; in alvi igitur fluxu frequentior illa largiorque excretio fecum satis ostendit, non eam in intestinis traxisse moram fordes, qua consistentiam naturalem modumque consuetum egerendi attingerint, sed ejici liquidiores, cum nisu nunc majori, nunc minori, quandoque sine torminibus, crebro tamen & comitantibus illis dejectiones, ac præprimis præcedentibus; ea excretorum saeppe quantitas est, quæ nulla ratione assumtis videatur respondere, mirumque videri queat, ubi fordes istæ omnes in corpore latuerint. Variam vero liquida illa excreta indolem habent, feculentiis cum bile, cruditatibus ac sero, colorum sub schemate variorum combinatis, varia quoque consistentia, valde serosis, liquidisque, subinde in principio spissioribus, saepè & viscidioribus, quasi mucilaginosis, spumescientibus, fætore nunc majore, nunc minore ingratis, regulariter non purulentis. Colores excretorum, ut diximus, variant, flavent quandoque a bile, imo viridescunt, referunt vini feces, fusco alias, cinereoque colore, imo & quasi nigro conspicuas, quod a medicamentis martialibus ordinario observatur, si assumantur paulo largius, aliquando & a corrupto sanguine admixto (cujus supra de vomitu cruento meminimus.) Sed & ab aliis humoribus in corpore corruptis, biliosis, adustis quasi, ac putredinosis etiam in aliis casibus.

Etsi

Etsi vero non semper jungatur vomitus, uti de cholera modo dictum est, notandum tamen saepe illum ad hos quoque alvi fluxus accedere; ad minimum vix erit diarrhoea, ubi non simul ventriculus aliquid patiatur, aut plurimum conferat, imo saepe & doleat, aut saltem debilior sit, imminuto aut dejecto plane appetitu, unde cruditates, harumque visciditas, atque ex hac tanquam fomite aptissimo flatulentiae, borborygmi per abdomen sparguntur.

Intestina scilicet sunt ventriculus quasi continuatus, ubi absolvitur chylificatio, chylique a fecibus sequestratio, ut sic & reliquiae ciborum jam corruptae hic congerantur, asserventurque in anfractibus illis usque ad commodam excretionem, & aliunde quoque affluant admisceanturque his feculentiis alii humores, ex bile, pancreatis succo, glandularum excretis varie combinati atque enati; Horum igitur diversi generis succorum acrimonia plerumque evenit, ut fibræ motrices intestinalium ultra modum irritentur, urgeanturque ad pellenda inferiora versus contenta sua, quod contenta illa sua quoque mole ac pondere quasi efficere possunt, vel etiam corruptione sua ac turgescensia sub putredinosa fatigentia contracta, mole simul, flatulentia, atque acrimonia in stimulando urgendoque ad excretionem concurrentibus, etsi acrimonia frequentior videatur & præcipua causa, sive biliosa illa sit, sive acidior potius, aut alio acrimoniæ ac cruditatis charætere tineta; plerumque tamen præcipua ratione concurrit ad excretionem tam notabilem status fusionis, qui ipse imprimitur M. S. sub quo stimulo in intestinalibus continuo durante confluxus eo largior seri tenuioris contingit, cuius abundantia iteratae istæ ejectiones constant potissimum; fibræ etiam semel irritatae haud facile ad hanc redeunt quietem, novo semper elatere nisuque urgentes contenta canalis versus inferiora. Uti vero fibrarum intestinalium irritationes, imo & tensiones ac spasmi diarrhoeis præbere ansam solent, ita idem a fibrarum quoque fieri potest relaxatione aut saltem atonia quadam, quæ promptius quam par est dimittat contenta, imo & sensibilitate justo majore ob tensionem fibrarum ac temperamenti calorem inducta; si vero juxta scriptores Medicos etiam ab obstructione glandularum intestinalium oriatur diarrhoea chylum non admittentium, ut par est, eo ipso etiam a chyli visciditate osculis subeundis minus apta orietur, si vero glandulæ illæ plus justo sint apertæ larga dimissione seri dabunt occasionem; ita tamen ut colorem rubellum sero quandoque inductum vix liceat ab ista glandula-

rum laxiore apertura, sed potius a vasculis quibusdam sanguineis sub ista humorum fusione ruptis deducere, aliqua croris portiuncula dilutius tingente serum.

Fiunt vero istae diarrhoeæ vel continuo magis, vel per periodos, etiam statas, gravius, leviusve, pro causarum ac subjectorum varietate; nunc enim a diætæ erroribus cibique & potus copia oritur, aut qualitate illorum acri, acida, humidiore, corruptioni ac fermentationi obnoxia, lubricante, dulciore ac cum bile turgescente; quo & assumtorum pinguedo exsuperans, falsedo, vis laxans, feculentia cerevisiæ, aliaque pertinent vitia, turbis in corpore excitandis apta, quo & terror, timor, ira, aliique animi affectus cooperari egregie ac vim habere ingentem solent; purgantium quoque abusu talia possunt evenire, imo & a resolventibus medicamentis aperientibus & nitrosis, imo & subinde per accidens ab ipsis opiatibus; ut de acribus venenatisque assumtis taceamus.

Jungitur diarrhoea cum aliis morbis quandoque symptomatice ac non sine ingenti periculo, quod in malignis febribus, variolis, morbillis, in phthisi confirmata tristi patet experientia, hydropicis quoque non semper salutaris, ac infesta puerperis; infantibus frequens symptoma, subdentitionis maxime corrubibus; pejor, tormentibusque comitata ingenti bus cum fæces viridiores ac spumescentes fuerint. Quam autem diarrhoeam vocant *fluxum hepaticum*, in senibus observatam, ubi excernuntur rubicunda instar loturæ carnium, illa vera diarrhoeæ ordinariæ, species non est, quippe conjuncta cum atonia viscerum ac intestinorum, & cacochymia sanguinis incorrigibili plerumque, senili marasmo eum fluxum fere ordinario comitante; neque id vocaveris diarrhoeam stricto hoc sensu, cum in paralysi alvus dimittit involuntarie fæces, iste enim status intestinalis alias quoque agnoscit causam.

Interim tamen & critico morbis supervenit modo diarrhoea, uti continuis etiam febribus, in certa earum specie epidemice grassante salutariter eam supervenisse crebro observavi; sic innumeros etiam alios morbos subinde solvit; & solatur quoque molestias varias hypochondriacorum (etsi eas quoque sapissime aliis in casibus augeat:) aliis vero salutariter quoque evenit, sub ipsis tempestatum anni mutationibus, aliis dato tempore diarrhoea quodam naturæ robore correptis non sine commodo valetudinis, aliis vero utile hoc suo modo malum moleste tamen ferentibus nec tamen vi quadam impedire ac tollere au-

dentibus, quod tamen ob nimiam ipsis grave est frequentiam, præservans ex una parte, debilitans naturam ex altera.

Quidam laxantia primo ponunt loco, sed existimem ea caute esse danda, nec ordinario requiri; præferunt vero, ubi necessaria visa fuerint, rhabarbarata; adstringentia prudenter adhibenda, quod & valet de theriacalibus, stomachica, roborantia, absorbentia, acidum corrigentia, terrea, mucilaginosa, gelatinosa, blanda, viscidula non tenacia, admodum conferunt, opata caute danda, neque cito ac intempestive constringenda fluxio; externa topica abdomini applicata, balsamica, emplastra &c. commendantur: quies vero & diætæ regimen cautum, ac moderamen justum animi affectuum maxime conferunt & curando & præservando.

Tanta verò cum sit diarrhœæ varietas, tum ratione causarum, tum modorum invadendi, & excretorum quoque ipsorum, facile quivis agnoscet, posse species ejus ingenti numero, ac plures omnino, ac quidem recensentur hætenus agnoscunturque a Medicis, à circumstanriis variis denominari ac statui etiam novas, siquidem multiplicare series numerumque morborum Medicinæ judicaretur proficuum; cum autem prudenter Medicus pro ipsius diarrhœæ varietate hæc facile distinguat, neque sine experientia multiplici distinguere satis possit, facile patet, non opus est, distinctionibus tam sollicitis horum affectuum, cum ne ii quidem, qui vulgo in libris Medicis distinguuntur exacte, noti satis sint ac consensu quodam universaliter definiti, unde evenire solet, ut vix eadem ratione describi vel possint, vel soleant, sed ab aliis aliter fere definiantur, concipienturque; *Lienteriam* ac *Cæliacam* intelligo, species diarrhœæ haud adeo inter se quoque diversas, & vel solo egerendi modo ac tempore, aut aliqua egestorum diversitate quoque distantes; sic enim *Lienteriam* in excretione intempestiva, vel in lævitate intestinorum, & *cæliacam* in gradu quodammodo mitiore, ventriculo compatiente quaerunt; quanquam ipsis subtilitatibus haud indigeamus, possimusque utrumque affectum sub uno complecti, facilius sic distinctum, cui & distincta competit idea, diarrhœæ speciem in eo agnoscentes, quam si duos inani *æxpißæ* distinctos quis velit concipere, atque eo ipso discentes confundere.

Iste igitur affectus à diarrhœa non solum differt ipso egerendi modo & tempore, cum fiat illa egestio mox post assumptionem ciborum, quanquam maxima hic in casibus individualibus occurrat differentia, &

in gradibus, cum sint qui mox à cibo sumto cogantur deponere alvum, credentes se cibum modo assumtum mox ejicere, cum tamen non excrenant nisi excrementa diu ante collecta, & satis pro morbi ratione cocta; alii vero cibos quidem conspicuos non egerunt, neque tamen feces satis coctione moraque debita subactas, alii autem cibum ne immutatum quidem iatis egerunt, & longe citius, quam fuisset excernendus; et si saepius hic fallantur ægri, cum talia etiam quandoque egerantur, quæ mutationem non facile subeunt, vel ob tenacitatem, vel ob rationes alias. Rariores vero sunt casus, ubi omnis generis alimenta agnosci possint adhuc immutata in excrementis, colore, odore, & si qui sint singulariter curiosi, sapore suo servato, quæ tamen alias facile concoquuntur. Id frequentius fuerit, non satis cocta esse excrementa, aut debita mora ad consistentiam ac foetorem naturalem reducta, sed cruda, & serosa, liquida, semicocta, aliquando albentia, unde chylosa dicitur diarrhoea, foetore juncto peculiari, & à naturali differente; neque semper (quod solent scriptores plerique supponere) absque omni dolorum molestia istæ eveniunt citatæ dejectiones, nunc diutius, nunc brevius durantes quandoque & per periodos affligentes, vix ulla excepta ætate vel sexu.

Adeoque nunc majus in ventriculo existit vitium, nunc vero in intestinis, in ventriculo quidem, si ille atonia laboret, aut inertia menstrui, ut sic cibi nec tritura debita subigantur, nec efficaci extractione in chylum abeant laudabilem, in intestinis autem, si illorum fibræ laxiores veterum illam famosam facultatem retentricem læsam reducant in scenam, revera enim intestina lubricitate sua seu lævitatem, quam vocant, inepta sunt ad concedendam sufficientem scybalis moram, sed ea sinunt elabi semicocta, crudioraque; sive & concurrentibus ad effeculum vel defectum potius hunc utrisque seu toto alimentorum canali, nec ventriculo nec intestinis moram ingestis necessariam relinquenteribus aut conservare valentibus, ut sic crudior exiens ex ventriculo ad intestina cibus haud subactus, magma formet crudum viscidumque, neque ibi proba acendum separandumque bile, neque à laxatis retinendum fibris, imò & quandoque ejiciendum ab irritatis, ob ipsum quem corrupti cibi concipiunt acorem. Sequitur hoc malum post morbos varios, debilitate inducta ventriculo & intestinis, eorumque fibris in elatere tonoque suo graviter læsis, quod & post febres varias, & dysenteriam, & diarrhoeam quoque vehementem aut cholera evenire potest; alias errores diætæ graves & multos non raro sequitur, unde in ventriculo chylificatio ob ejus

ejus debilitationem læditur, in intestinis tonus vehementer imminuitur, præprimis ingestis esculentis, potulentisque acribus, facile fermentescientibus ac putrescentibus acidis, immaturis, valde pinguibus &c. Disponit quoque eo cœbrior vomitus ventriculum valde reddens flacidum; aliæ quoque systematis nervorum debilitates, ac spirituum exhaustiones, ac dejectiones, robur enim spirituum fibrarumque requiritur ad coctionem cibi absolvendam, quæ si non absolvatur ritè nec egestio naturalis subsequi potest; unde facile patet, nimia liquida, lubricantia, ac frigida nimia assumta sæpe fieri causam istius anomaliæ in excernendo, quæ si duraverit diutius debiles reddit ægros, absunit carnes, cacochymiam infert succis corporis, unde graviora, ni succurras tempestive, metuenda sunt, chronici scilicet, gravissimique morbi, cachexiæ soboles.

Remediis adstringentibus sanatio non absolvitur, nūde scilicet talibus, sed potissimum stomachica temperata, roborantia, aromaticæ mitiora, absorbentia, terrea istis mixta, imo & prudenti applicatione martialia, comprimis in tincturis melioribus, et si ne excluso quidem ferri in alcohol redacti substantia in minimis dosis, junctis cum stomachicis, confortantibus, carminativis; namque & hanc scenam fatus ingrediuntur, imo si illi incipiant iterum expelli sub ructuum scheme, spem afferunt novam redeuntis paulatim toni fibrarum hactenus nimium languescentis, nec fatus propellere valentis. Externa ex iisdem desumuntur classibus, in balsama, emplastra, cataplasma, linimenta, fæcculos &c. efformanda; de clysteribus disquirunt, an profint? commendant aliqui lenes, ac leniter proin detergentes, qui si parcí sint quā dosin, & confortantes, tonicique quā ingredientia non ubique excludentur; ordinario plus forsan nocituris illis in alvum injectionibus, si vel lubricantibus, vel acribus aut stimulantibus constent, cui enim bono sub egestionibus nimis stimulandum sit, vix appareat; proba vero diæta plurimum conferet ad sublationem molestiæ illius, parcior cibus eupeptus, axactumque regimen quā res omnes non naturales, etiam animi corporisque motus, necessitate indispensabili ægris inungenda sunt.

Dysenteria est inter alvi fluxus maximè formidanda atque conjuncta cum maximo periculo, cum jungatur plerumque cum acuta & continua febre, eaque maligna satis, sicque dupli ex capite periculum vitæ minetur.

Unde patet analogismum inter dysenteriam & hypercatharsin non omni-

omnimoda niti similitudine ; cum enim hæc oriatur a purgantibus nimis violentis , nimiaque dosi exhibitis , sive illa ex hellebororum , sive colocynthicorum , vel & productorum antimonalium in substantia cumprimis exhibitorum sinistro oriatur usu , & proin in principio sine febre oriatur ab erosione intestinorum eorumque nervis vehementer lacescitis , illa e contrario incipit cum febrili horrore , ac calore mox sese exserente , utut in principio erosio in canali intestinorum locum vix habeat , sed demum sub mali progressu & incrementis soleat subsequi . Interim tamen evidens est , esse intestinis dysentericorum gravissimam fibrarum nervearum irritationem ab acribus , qui ibi stabulantur pravisque succis , quo & accedit fusio sanguinis , serosæque portionis ad istos stimulos primarum viarum quasi propulsio abundantior , uti simul plurima in intestinis vascula sanguinea rumpuntur , suum fundunt laticem vitalem sicque tingunt feces ; ita tamen ut ordinaria non sit glandularum & vasorum in intestinis colligatio quasi , quæ vix nisi in malo funestiori ejusque *ἀκμῇ* accedit , et si erosio levior in iis quoque possit evenire , qui evadunt , cum maxime villosa canalis tunica diu satis protegere valeat intimiores membranas intestinales , nisi nimia fiat acrimonia , uti saepè nimia & prorsus corrosiva fit . Sive jam gignantur in corpore succi adeo venenati & pravi , tantas in sanguine turbas , tantasque in intestinis vellicationes producere valentes , sive a manifestis diætæ gignantur colliganturque erroribus , talibus improvide ingestis , quæ facile acorem , fermentescientem turgescientiam , ac putredinosam dispositionem in cavitate intestinorum subeant , accedente cumprimis bile jam antea pravè disposita , acriore , tenaci , fixiore , seroque acore cruditatum corrosivarum tincto ; si maxime aliæ ad excretionem viæ haud pateant , ac transpiratio cumprimis insensibilis cohibeatur subito aut diutius ; nihil verò potentius illas dispositiones pravas omnes deducit in actum , quam miasma , malo jam grassante , haustum , corpori illatum , quod potentissime ac celeriter succos corporis tum in sanguinis massa , tum in intestinis in sui motus leges cogere ac corrumpere yalet , febrimque ac turbas accendere ac commovere .

Juvante cumprimis æstu ac fervore atmosphæræ , humores adhuc magis fundente , & ad effluxus disponente , quem sane mallem accusare , quam ætherem peregrinum , cum æther ubique penetrans vix ullibi queat esse peregrinus , ubique scilicet eo ipso perpetuo domesticus , & semper idem . Fructus vero malum quandoque cudere mirum non erit illi , qui

qui fermentantem horum attenderit indolem. Quid obstat igitur, quo minus his turbis febrilibus excitatis, hac humorum acerrimorum fusione, hac intestinorum irritatione accendentibus, omnia in deterius ruant, ipse sanguis putrefactare quasi ac pati *νέκρωσιν* incipiat, resolutis mixturae vitalis vinculis ac principiis, intestinorum concava superficies arrodatur, muco illo tomenti quasi organico (uti Lœwenhœkius eum vidisse se ait) abluto, abrasoque, vasculis sub orgasmo humorum & aggestione hic facta passim ruptis (neque enim capio qui vel oscula saltem eorum aperiantur, quæ in cavum intestini non hiant, multo minus qui transudare per canaliculos suos possit sanguis:) & ab acrimonia quoque si jam nimia illa fuerit erosio, irritatis simul gravissimè nervis, ac fatigatis istiusmodi irritatione perpetua absuntisque spiritibus, adeo ut aggesto uberioris huc sanguine inflammatio tandem suis gradibus gignatur, imo si res in pejus ruat gangrena ipsa invadat intestini canalem tam graviter læsum erosumque. Unde & in defunctorum cadaveribus reperta sunt intestina muco suo nudata, intimius erosa, inflammata, cum putredinoso fœtore &c. si verò evadant ægri, saepè quidem plenè curantur, ubi tamen pejus fuit asperiusque malum, gravia post se trahit alia symptomata, acrimonia scilicet non omni eliminata, nec subjugata, hinc & scabiosæ efflorescentiæ pertinaciores cacochymiaæ, imo cachexiæ gravissimæ in oedemata, ipsumque terminandæ hydropem; lienteriæ quoque & aliæ primarum viarum debilitates ac coctionis læsiones sequuntur haud infrequenter.

Si verò *dysenteria* corripiat ægrum, dubites quid prius se exerat, febris ne an dejectiones, mox enim in principio frigore aborto, calor subsequitur, ortis simul dejectionibus frequentioribus, quæ & numero & copia augmentur, dolore abdominis crescente, terminibusque umbilici potissimum regionem gravius afflignantibus, sensimque augmenta cipientibus.

Numerus dejectionum incertus est, frequenter tamen admodum esse solent una die 20. 30. 40. 50. vicibus recurrentes, inæquali sordium mole ejecta, aliquando frequentia imo continuitate quasi cholerae æmulantur. Anxietas & inquietudo ingens est, somnum tantæ turbæ non admittunt sed continuis ægros vigiliis fatigant, urget sitis, & si bibant augetur vis dejectionum, frequens est pulsus ac celer; siccitatem faucium adesse mirum non est, imo ardorem in statu adeo febrili, imo inflammatory, unde & ipsas adjungi petechias ajunt scriptores, quæ tamen, exceptis casibus specialibus epidemicis hos affectus forsitan aliquando jun-

gentibus, vix fuerint veræ petechiæ, sed exanthemata potius funesta, testantia de præsenti jam inflammatione interna, exserente se jam in peripheria corporis gangræna imò sphacelo & putredinis initio per ista stigmata quasi jam mortificata.

Quæ excernuntur non semper eadem conspicuntur, sunt aliquando excretæ feces tinctæ striis sanguineis, vel guttulis cōspersæ, vel massulis coagulatis mixtæ, vel uberiori sanguine perfusæ, tinctæ, imo mero sæpe & largo sanguinis fluxu formidandæ; adeoque rubedo illa varia egestorum nomen dedit malo, et si non semper illa rubeant, unde & alba rior habetur, cum chylosæ quasi ac lactis æmulæ dejectiones apparent; verum alia est ratio illius quæ frequentior est dejectionis feculentæ non cruentæ quam albam vocant communiter (*die weisse Ruhr*) non intelligendo simplicem diarrhoeam, aut cœliacam, sed talem dysenteriam in qua cessante jam apparente prius cruenta portione ejiciuntur feculenta, flava, viridia, pituitosa, imo viscosa quasi membranacea, purulenta varia, variegata, fœtida, imo nigra secedunt, funesto plerumque eventu, et si magnas etiam portiones talium mucilaginum observaverimus ejectas, evadentibus tamen ægris, uno præcipue notabili, ubi crediderat servus, intestini longiorem portionem ejectam esse ab ægro; neque etiam omnes cruentæ dejectiones habendæ sunt statim pro exquisita & vera dysenteria, cum potissimum hypochondriaci varias hic pati possint anomalias ob hæmorrhoidum statum varium & intricatum. Dolores sunt plerumque intensi, nec remittunt tormenta nisi per intervalla, imò malo sæpe cessant omine, sensu quasi intestinorum *νέκρωσιν* jam patientium cessante.

Epidemium plerumque malum est & contagiosum valde, fructuum abusui sæpe adscribitur, ac æstivo soli adurenti ac fundenti humores, nec sexui, nec ætati parcit ulli, robustoribus sæpe præ aliis qui videbantur debiliores & magis morbo impares succumbentibus. Aliæ quoque anni partes non penitus excipiuntur; negandum tamen non est vitia diætæ plurimum contribuere, magisque etiam disponere ad suscipiendum contagium; et si multi quoque corripiantur a noxiis solcite abstinentes, aliis liberis, qui maxime hoc in genere peccaverant, omniaque ingesserant promiscue. Accedit sæpe vomitus molestissimus, cardialgia, ventriculi quoque rosiones & ardores singulares molesti, singultus pessimi ominis si in statu morbi gravissimo & ab inanitione quasi superveniat, indicat enim fibras & languidas, & irritatas, ac inflammationi succumbentes, minus periculum foret, si talis orietur sine gravibus illis concomitantibus symptomatis,

bus , saltem post sumtum cibum vel potum , ob ventriculi tum debilitatem & teneritudinem ; ructus habent pro bono omne , quod obtinebit aliquando , cum indicat fibras robur novum expellendi fatus acquirere , possunt verò etiam à spasmodica crispatura ventriculi sursum adigi ructus , & tum boni nihil portendent ; funestum maxime signum sunt , virium nimia & subitanea dejectio insignem notans etiam quā febrem junctam malignitatis gradum , dejectiones involuntariæ ægro non amplius advertente sponte quasi profluente feculentia , potissimum fatale frigus extreñorum glaciale non sine madore . Mensium fluxus accedens nunc augere malum visus est , nunc minuere . Monuimus vero jam supra dysentericos non esse qui ab hæmorrhoidum statu vario cruentas quandoque patiuntur dejectiones , vel qui ob casus , externasque violentias cruentas sedes patiuntur , aut quibus sub diarrhoea simplici aliquid extorqueatur rupto forsan vasculo uno vel altero sanguinis .

Molestiam morbi valde auget symptomata sæpe urgens , nempe . *Tenesmus* , seu conatus egerendi feces continuus ac dolorificus , frustraneus ferè , at semper urgens , fatigansque ægrum , dolore sæpe vix tolerabili , non sine procidentia ani sphinctere laxato . Notum est dari quoque tenesmum ab hæmorrhoidibus vel cœcis vel aperiendis ortum ; ortum quoque subinde ab usu aloeticorum remediorum ; quod & calculosa dispositio non infrequenter efficit , & vitia uteri ; imo & vermes , maxime ascarides , molestissima morsicatione sua animalcula , imo & ab acrioribus humoribus ac flatulentiis in diarrhœis &c . Nos solum consideramus symtoma dysenteriæ dolorificum illum summè tenesmum , cui opponere sollemus vapores demulcentes lactis cum emollientibus cocti , suffitus paragoricos , clysteres sebaceos prudenter applicandos , quietem quantum licet sub isto malo inquieto ; potissimum vero ipsa remedia dysenteriæ opposita , de quibus mox agemus breviter , si prius ratione tenesmi id monuerimus , summam illam acrimoniam exaltatam tam enormiter stimulare ad egestionem etiam inanem , mole humorum non amplius præsente , fibras , præcipue a continuo illo ac diuturno transitu nudatis quasi fibris , mucoque abrasiō , uti in stranguria vesica perpetuo urget urinæ excretiō nem vix guttulis quibusdam præsentibus ; nec tamen omnem tenesmi vim ausim arcessere ab elatere sphincteris irritati , extimaque parte sola intestini recti nimis irritata , cum altius etiam applicentur isti stimuli totumque rectum intestinum graviter affligatur .

Medendi methodum quod attinet ; dysenteriæ principio quidam
D 2 in evi-

inevitabili necessitate opponunt purgans sive laxans mitius, vel & rhabarbaratum , neque vero id vel tutum adeò vel necessarium erit ideò , quia raro in primo ac verò principio vocatur Medicus, cum ægri tum adhuc non credant se tam gravi morbo incipere laborare , sic transit sane prima ac tutior periodus opportunior huic rei. Venæsectionem vix suaseris ; præstant bezoardica , diaphoretica temperata , demulcentia , confortantia , blande adstringentia ac absorbentia simul , terrea mitiora , theriacalia prudenter data , paregorica , papaveracea , cordalia , nervina ; clysteres rarius exhibentur , etsi sebacei saltem fuerint. Externa roborantia non nimis calida possunt adhiberi. Sed quid de emeticis dicemus , haud facile exhibenda illa ! si vero hypocacoanham excipias , etiam nos illam excipiemos in hoc morbo , etsi jam facta sit Emeticum quasi universale in omnibus morbis ; cuius tamen & molestiores vidimus effectus. Vim radicis in curanda dysenteria nemo negabit , fateamur tamen necesse est , ipsos etiam Gallos fassos esse in exercitu ipsorum vim suam haud satis exercuisse celebre specificum , magna in copia hoc scopo collectum ; requirit vero . & id in applicatione circumspectionem multam , quam & ipsi illi primi ejus commendatores agnoscunt esse necessariam , ne intempestiva , promiscuaque exhibitione plus noceat quam profit ; de quo aliqua non inutilia leguntur in materia medica Turnefortiana &c.

De Affectibus quibusdam aliis ad Abdomen relatis.

Abdominis dolores a variis adeò causis pendent , ut sub uno schemate comprehendi nequeant , affectus enim quos hactenus sumus contemplati , qui alvi fluxu ægris molesti sunt ac funesti sæpius , ingentibus etiam doloribus stipati sunt haud raro , nunc verò illam potius dolorum abdomen torquentium speciem allegabimus ac contemplamur penitus paulò , quæ sine alvi fluxu infestat abdomen , *Colicam* scilicet , ubi non vaga quævis tormenta ac leviores lancingiones intelligimus , frequentissimè variis sub occasionibus in abdomine perceptos variasque ejus regiones perreptantes , sed insigniores illos , quos colicos vocant , nonnunquam omnem infimi ventris ambitum occupantes , aliquando umbilici potius torquentes regionem , alias ad latera quoque se extendentes , vario dolorum schemate sese manifestantes , nunc pungentes & lancingantes , nunc distendentes & quasi secantes , nunc infixa quasi spina terebrantes , nunc vero cum ardore rodentes , aut tendendo lacerantes , imo & constringendo torquentes .

Est enim cum *Colica* ista ita comparatum , ut illa species sub se comprehendat

prehendat plures, ad quas quidem haud pertinere videtur *Colica dicta nephritica*, quam vocant illam quæ conjugatur cum calculo in renibus, ureteribus, aut vesica hærente, cum dysuria combinatam, aut quæ calculum vel antecedat vel sequatur, isti enim dolores nephritici sunt omnes et si mentiantur colicam, orti quippe a solido illo calculi stimulo nervorum plexus malè habente, gravissimosque hinc excitante dolores, qui nec cessare solent, nisi irritans illud, crispansque fibras vel fabulum, vel lapilli parvuli, asperique, vel maiores calculi removeantur ac transcant, sic enim irritatore sublato stimulo cessent illi nephritici dolores.

Neque peculiarem agnoscemus *scorbuticam Colicam* (saltem in nostris haud adeo distinctam regionibus, illam enim facile reduxerimus ad biliosam, et si difficile fuerit determinatu, an tota doleant intestina, an verò mesenterium, uti distinguunt autores:) vel ad spasmodicam quoque in quantum ajunt pares in ipsis succedere, & dolores articulorum. Id certum esse existimamus dari *Colicam Flatulentam*, cum inflatione distendente, tensiva nunc in epigastrio magis, nunc in hypochondriis, vel & epigastrio, imo omnibus his locis simul, cum vel sine vomitu, flatibus constrictis ac conclusis ut nulla ipsis pateat via, unde tanti dolores, distensiones, ac intensissima torments, cum cardialgia etiam juncta, ructibus aliquod levamen afferentibus, si succederent.

Neque aliam quam observamus *Colicæ speciem* male vocaveris *biliostam*, in qua calori intensiori junguntur dolores, siti, vigiliis, prostrato appetitu, aliquando & vomitu, & singultu, & ructibus quoque junctis cum oris fauciumque siccitate, dolore lacinante, scindente, ardente quasi. Et *spasmodicam* quoque non possumus non addere, in qua plexus nervei potissimum afficiuntur, indeque strictræ spasmodicæ nascentur summè dolorificæ, cum alvi obstructione pertinaci, ad quintum, sextumque protensa diem, ut ne flatus quidem ullus vel suppositoriis vel clysteribus etiam elici queat, doloribus interim incredibilibus, urgentibus, strictroriis, lacinatoriis ferè ad deliquia usque, accidente vomitu, cardialgia quoque, & singultu aliquando, umbilico versus dorsum retracto ut foveam formet regio ejus vel pugnum admittens, cum anxietatibus præcordiorum, terroribus ac succussionibus, celeri, agitatoque pulsu, palpitante corde, urina tincta; hæcque sane colica rectè tractata plenius curatur, ab erroribus verò, nimiis animi motibus, vino concessio, exhibitis purgantibus gravissima ingruunt mala, aliquando gutta serena magis transitoria ac spasmodica, motus convulsivi varii, particulares ac

universales, ac tandem frequenter paresis. Et hujus Colicæ spasmi distinguendi sunt ab illis, qui dicuntur ab authoribus adesse in omni colica, stimulo nervos pungente, lacescente, irritante, unde crispentur fibræ, constringantur variè, tendantur, dolorisque sic forment sensum colici; hoc enim sensu omnis dolor colicus habet aliquid spasmodici, cum & flatus & acres humores nervos ita commovere ac irritare possint, ut tendantur prætetenaturaliter, ac sub illa tensione ac strictura fibrarum dolores oriantur Colici in partibus valde sensibilibus. Illa vero ultima Colica specialius ac majori titulo dicitur spasmodica, sive jam oriatur a pravis, qui collecti genitique in corpore sunt, succis nervos graviter pungentibus, sive à remediis saturninis, vinisque inferatur lithargyrisatis, unde illam frequentissimam, terribilem, cum recidivis, ac pertinacissimam vidimus. Quando ergo dicunt autores, esse in Colica spasmodicam fibrarum nervearum tensionem, tum in mesenterio, tum in intestinis, quæ totam illorum substantiam, id in genere intelligendum de colico dolore à quacunque causa orto, cum primis vero & quasi *κατ' ἔξοχην* de spasmodica exquisita longe pejore & verè maligna.

Nihil potentius fibras stringit, incitatque, ad spasmos terribiles, quam saturninæ moleculæ, hinc tanta alvi occlusio, tanta stricturarum vis & dolorum exquisitissimorum pertinacia, non nisi cum spasmis illis cef-sans. Reliqui dolores Colici & a flatibus distendentibus, & ab acrimonia bilis exaltatæ quasi qua salinum suum stimulum, aliisque humoribus corruptis ac cruditatibus possunt oriri, sive acrimonia ad acidorum magis, sive acrum aliorum, imo & enixorum pertineat classem; saepè tamen etiam juncta acrimoniæ visciditas ad pertinaciam plurimum contribuit. De vermibus haud dicemus, qui sui generis quoque tormina varia ac plurima excitare valent, si libeat ad Colicas quoque referenda, ad minimum in demortuis Colica vermes detexit sectio anatomica, sive dein causa illi dolorum unica & vera tum fuerint sive non, inventa quoque intestina inflammata, imò & erosa, quæ tamen facilius effectus quam causa mali fuerint. Venena sanè gravissimas Colicas, sed & inflammationes & sphacelum brevi inferunt.

Hysterica Colica suo modo etiam spasmodica est, eodemque tractanda modo. Biliosa icterumque quoque potest adsciscere, variamque eacochymiam. Modus terminandi est dolorum cessatio, fecibus flatibusque, via iterum patente, acrimonia ac humoribus fermentantibus subactis, spasmus cessante, ac redeuntibus sic ad quietem pristinam spiritibus.

Cæterum

Cæterum remotiores atque occasioales causæ plures sunt, ansam præbere possunt cibi viscidi, lenti, dyspepti, duri, sicciores, legumina, pisces, ova indurata, caseus, prava cerevisia, acida ac immatura vina, cohibiti flatus, atque excrementa alvi incaute retenta; acria varia, generosa etiam vina si quantitate excedas; affectus vero animi potissimum intensiores, frigus externum, cohibens transpirationem insensibilem. &c.

Inter remedia anticolica commendantur alvum emollientia, laxantia, & aperientia, circa quæ tamen cautelis opus est, laxantia enim proprie dicta haud facilè admittent graviores Colicæ species, imprimis spasmodica, facilè hinc in paresin præcipitanda; nec biliosæ promiscuæ ea conveniunt. Purgantia nulli opponerem Colicæ in paroxysmo. Clysteres verò utiles, maxime blandiores. Carminativa ubique recte adhibentur, temperata scilicet, nec excessive calida; anodyna cautè danda, maxime in spasmodica colica, quæ ea fortiora impunè non fert; papaveracea, paregorica, nervina, bezoardica, resolventia, emollientia, blanda, gelatinosa balsamica, conducunt internè, externèque in balsamis scil. linimentis, emplastris, unguentis, sacculis, fomentis. Colicæ considerationi conjungitur meritò evolutio passionis Iliacæ, vel Ilei, de quorum distinctionibus nunc non est quod dicamus, an differant gradibus, an circumstantiis & subiecto, res enim in se pessima est & periculi summi. Gravis quippe dolor, tormenta enormia, alvi pertinacissima obstructio, fecibus nulla arte promovendis, simul vero urgente vomitu continuo. Hæcque contingunt vel a vulnere intestinorum, & frequentius ab hernia incarcerata qualicunque, quod malum nisi cito occuratur, minari solet extrema, tumore duro, pertinaci, ac renitente, si moram traxerit, haud facile removendo; vel etiam sine hernia talis dolor pertinax & adstrictio adest, occupante dolore dextrum Hypogastrium; alvus pertinaciter clauditur, ne flatibus quidem dimissis, vomitusque creber ejicit ventriculi atque intestinorum contenta, cruditates, bilem corruptam, phlegmata viscida, imo tandem in Ileo, dicto miserere, nigra, fœtentia, stercoracea. Venter durus est, tensus, convolutis constrictisque variè intestinis, flatibusque distentis, pulsus est frequens, debilior, appetitus evanescit, jungitur anxietas, singultus, urinæ retentio, convulsivi tandem motus accedunt, artuum frigus intensem, tandem mors (nisi reseretur alvus vel intestina redeant per processum in abdomen) inflammatione intestinorum in gangrenam plerumque abeunte sphacelum post frigidos sudores, virium plenariam exhaustionem, deliquia &c.

Eveni-

Eveniuntque talia post Colicas , aut intestino in herniam infeliciter elapsō nec statim reposito , sed sensim irritato malo ac inflammato ; viam eō sternunt varii affectus , vitia digestionis , morbi hypochondriaci , cacochy- miæ , adstringentium & flatulentorum abusus , varii errores circa res non naturales , motus fortior , ingesta varia absurdā obstruentia maximè in her- niosis (: uti de cerasorum nucleus copiosis observavimus :) & frigus ma- ximè externum , ligamentorum remotio imprudens hernia sibi impruden- ter relicta . Cæterum etiam interius indurari scybala , obturari canalis in- testinorum poterit , collecta prava materia ac obstruente simul & irritante , tantosque cudente dolores , ac tam pertinacem alvi obstruktionem , præ- primis accedentibus externis causis atque occasionibus .

Cum enim in gravi hoc affectu propter pertinaces obstruktiones , viasque minus patentes , acresque humores hic congestos , & ferventi sanguine in infinitis intestinorum ramulis vasculisque sanguiferis magis , magisque ag- gesto , turgescente , ac stagnante , atque cruditatibus viscidis , acerrimis æquè ac scybalis incrassatis spissisque irritantibus ultra modum , flatibusque elatere suo distendentibus , non possunt non fibræ intestinorum nerveæ tendi , pungi ac dolorificè affici , cum crispaturis earum ac spasmodicis stricturis summè sensibilibus vagis , fixisque , neque ubique æqualibus , unde in uno loco plus constrictio & impedimenti , in alio plus stimuli ad ejicien- dum , uti versus superiora constrictis contingit fibris ; in vulnere res per se clara est , nec eget explicatione , plerumque lethali existente tali læsione ; in hernia verò pariter manifesta hæc sunt , concipe enim animo elapsum processum peritonæi intestinum una cum scybalis queis turget in loco isto minus competente violenter detineri , quanti non inde dolores , fecibus jam non progredientibus , fibris summè irritatis , aggesto per innumera vascula sanguine , tandemque si mora accedat , nec repositis intestinis li- berentur istæ viæ , inflammatio , incrementa febris , spasti nervorum , funestaque omnia subsequuntur ; quod suo etiam modo eveniet , si in confiniis angustiis tenuium ac crassorum intestinorum obstaculum , coar- etatio , aut constrictio contingat , cum & ibi constrictio , distensiones e- normes , inflammationes , spasmique in promptu sint . Unde varie tensis , tractisque intestinis illa variè stringuntur , inque se mutuo ingrediuntur sub illis spasmis ac turbis , paucis , omnia ad confusionem ruunt , omni- modamque machinæ destructionem , fibris jam sursum unicè patente via eō omni nisu propellentibus quicquid cavo intestinorum continetur , un- de mirum non est gangræna oborta , omnibusque turbatis , fibris partim

sub inflammatione spasmodice constrictis , partim aliis relaxatis ac quasi mortificatis jam , ipsa quoque sursum eniti scybala , ac fœtentes fieri multiplici ex capite fœdosque vomitus . Etiam in hoc malo post mortem varia detexit anatome , maxime autem inflammationem intestinorum , imò sphacelum , eorundemque varias quasi complicationes , inversiones & quas vocant intro susceptiones unius portionis intestinalis in aliam vel superiorem , vel inferiorem , scybala indurata & nulla arte removenda in istis flexibus & gyris intortis intestinorum , vermium quoque glomeres &c.

Remedia convenient bezoardica , diaphoretica , carminativa , blanda demulcentia , emollientia , nervina , roborantia , cordialia , lubricantia , mulcilaginosa , papaveracea , paregorica &c. Opiata cautissime hic danda ; idemque observandum circa ponderosa exhibenda , globuli metallici pondere suo & prodesse in casibus quibusdam , nocere in aliis possunt ; Mercurius adhuc magis suspectus est , et si exemplum non infelix noverimus (ubi scilicet non adeò acutum malum , nec incarcerata hernia , nec inflammatio perfecta fuit :) sanè enim si incarcerata extra corpus hæreant intestina , adsitque inflammatio , quid efficiet ponderosum ac fluxile metallum nisi augmenta mali , ac citiorem progressum ejus ad mortem ; & quid purgantia efficient inflammatione præsente , ubi potius euthanasia procuranda . Sectio & repositio intestini tempestiva si sit , nemini non probabitur , optando tamen magis quam sperando successu , cum raro talia vel in tempore suscipiantur ante inflammationem (: ea verò præsente frustanea sint :) & rari quoque sint , qui suscipere audeant operationem artifices , cum tanto famæ periculo &c. Externe emollientia , linimenta , cataplasma , unguenta , fomenta , sacculi abunde tentanda ; inflatio cum folle æque paradoxa videbitur , ac corporis sursum pedibus elevatis concussio , nec emplastrum magneticum magnificis satisfaciet promissis .

Vermes non infrequentes sunt humani corporis hospites , uti in ejus quoque superficie varia etiam insecta nidum atque alimoniam querunt , inveniuntque , in ipsis quoque ulceribus , aliisque continui solutionibus nati , vermes vero internas , variisque partes occupare solent , non tamen exclusivè ad alia insecta , præter enim vermes magis ordinarios & consuetos , varios quoque aliarum specierum reperire datum est in corporis partibus diversis , & in ipsis quoque intestinalis , ita ut legantur exclusæ inde ranæ , bufones , lacertæ , viperis similia animalia , aliaque , et si enim non desint hodie viri clarissimi , qui hæc omnia velint elevate ac vocare in dubium , vix tamen hypothesin satis probabunt , vel persuadebunt aliis tot exempla clarissima pensitantibus .

Nobis verò hic sermo est de vermibus consuetis , intestinalorum incolis , tam terribus , omnium vulgacissimis ac notissimis , quos lumbrios proprie vocamus ; tum etiam minus frequenter obvio Lato verme , tænia , seu vermibus cucurbitinis (quos

nescio an adeò concinne quidam vocent vermium casei æmulos) ac tandem Ascaridibus, parvulis illis intestini recti incolis pruriens motu molestissimis. Multa legimus de putredine verminosa, licet verò aliqui forsitan supersint, qui æquivocam ex putredine statuerent generationem vermium, si tamen & pauci erunt, & concedent omnino illis qui dudum agnovere non nisi ex ovulis vermes gigni, univoca generatione, et si visum ovula fugiant parvulaque illa seminia se occultent, latent tamen diu, haud facile destruenda, evolvunturque, nido fomiteque competente intestinis subministrato à succis pravis, crudis, ad putredinem tendentibus; de eo vero nondum consentiunt naturalis historiæ scriptores, undenam ista proveniant ovula, quibusdam ex aëre ea derivantibus, aliis ex ciborum dulcium maxime, vario genere, aliis ex lacte, atque inde parasitis, caseo &c. adeòquè à seminio extrinsecus illato, recentioribus verò cum Valisnieriо ipsi hominis naturæ ac texturæ nativæ assignantibus hospites illos ingratos tandem molestosque reditos. Neque hi concedent prioribus, à loci ipsius conditione ovula vermium non foveri tantum & ad exclusionem disponi ac perduci, sed etiam diversam inde pati mutationem in textura sua specifica indoleque, neque enim à loco pendere ajent insectorum metamorphoses, statis organismi legibus definitas ac circumscriptas. Id verò omnes forsitan haud difficulter agnoverint, vermes nou ubique nidum sibi convenientem repertire, aut nidum exclusioni suæ congruum, ovulaque partim excerni non exculsa, partim latere diu non actuata ob uteri congrui atque alimoniae quasi specificæ defectum; cum vero variæ mulcilagines crudiæ succi chylosi præsto sunt, bilisque acrimonia sua subtili, & resinosa balsamica indole haud viget, exclusio vermium promptior erit.

Qui tamen et si præsentes in cavo intestinorum, sæpe tamen adeò latent profunde, adeò se non produnt signis satis manifestis, ut difficilimè detegantur; potissimum verò eorum præsentia colligitur à variis torminum speciebus, rosonibus, pravo ac nauseabundo ex ore halitu, copia salivæ, narium pruritu qui digitos illis creberrime facit admoveri, faciei pallore, salivæ largiore excretione, voracitate in quibusdam majore, in aliis dejecto appetitu, cui addunt quoque statum ægri tolerabiliorem cibo assumto, quam ventriculo & intestinis vacuis, somnus est inquietior, rubent oculi, sitis urget, pavotibus somnus interrupitur vel distinguitur saltē, tumescit venter solito magis, durior, que est, carnes corporis imminuuntur, ac ferè tabescunt, calor sæpe est præternaturalis, tussicula jungitur sicca, urina varia, nunc pallida, nunc turbida, crassior, ac albedine quoque mucoque viscido infecta. Ista verò omnia non satis certa sunt ac sæpe impognunt Medicis, cum etiam sine his signis reverè adesse soleant vermes, nec ulli detectantur alias iis etiam observatis ac se ostendentibus ferè singulis, unde certius signum non habemus ipsa eorum excretione & autopisia.

Licet sæpe gravissima dum larent symptomata efficiant, cardialgias rosivas aliasque, epilepsias, convulsivos motus enormes multiplices, variosque affectus catalepticorum æmulos, eordis palpitationes, asthmata, ac dyspnœas; imo talia sæpiissimè quæ ab singularitatem fascino adscribantur ab imperitoribus, et si & fungi cum fascino forsitan possint soleantque quandoque isti microcosmi hospites ac tortores mirabiles ratione suorum effectuum. Lati cum teretibus eosdem quandoque imo maiores molestias inferunt, sæpe tamen & pertinacissime latitant, aut etiam per periodos sui præbent indicia; circa istum verò vermem multum hodiè disputatur, an cum tænia idem sit, an unus in longitudine continuus vermis, an plures cucurbitini sibi invicem

nexi longa serie, an utriusque dentur specimina & exempla, qua de re potissimum
 D. D. Andry, le Clerc, Valisnierijs egerunt plenius non eadem omnes via incidentes.
Ascarides verò magis adhuc isto verme frequentes sunt, æquè ac reliqui vermes omnes quidem àtatis cujuscunque ac sexus homines affidentes subinde & passim sine distinctione, ita ut non audeam cum aliis lumbricos infantibus, tænias adultis, ascarides senibus puerisque specialiter quasi assignare ac tribuere; ascarides autem molestissimo ac dolorifico proin pruritu, intolerabili ferè sese manifestant in inferiore intestini recti regione, affidentes & lassantes continuò sphincterem, & cum fecibus quoque prodeentes; an etiam ex utero prodeant determinent alii.

Lumbrici cum fecibus potissimum egeruntur, etsi etiam per os naresque prodierit sint observati, aliquando prorumpentes ad faucium isthmum, ut longiores, spissioresque viderimus extrahere digitis ægros & teneros àtate & adultos, salutariter quosdam, alios tristiori eventu secuto, in febribus, & extra febres &c. Cæterum & ipsa perforasse intestina observati sunt, non sine gravissimis & terribilibus symptomatibus, motibusque convulsivis. De aliis speciebus nihil dicemus, dræunculi enim Africæ Afiaque relinquendi, sub cute latentes, cautèque protrahendi, de quibus Kempferus aliique: de erinonibus multa passim leguntur, huc tamen illi non speant, notum est, quid disputet cum aliis Lœvvenhœkius, quos enim alii vermes autoptæ declarant, ipse convolutos vi omni pronunciat pilos sub cute crescentes. Sirones autem ac orique quos ex manibus scabiosi exculpunt effodiuntque ad scabiem alegantur. Lacte & dulcibus dicuntur nutriti, etsi juxta Francisci Redi celebria experimenta dulcia magis nocuisse ipsis visa sint quam amara, vel salina, oleosa aliaque, nisi oleosa respirationem ipsis demant plena oblinitione. Quicquid verò horum sit, communiter adhibentur contra illos oleosa, salina, amara, putredini resistentia, alcalina, nitrosa, balsamica, carminativa, stomachica, absorbentia, terrea, e. g. Sem. santonici, corallina, tanacetum, ipsum quoque C. C. ust. & alia, purgantia & laxantia omnia è referantur, cautè tamen usurpanda, uti & potissimum mercurialia, clysteres quoque commendantur & ad alliciendos vermes, & ad educendos, evocandosque, & subinde eluendo etiam ascarides, quibus etiam varia linimenta, unguenta, suppositoria &c. opponunt.

AD Praxin transfer sapienter cognita! gaudens
 Inlyta Te Medicum Patria suscipiet!

Clariss. D. Candidato Rawio
 felicia praxeos initia precatur

PRAESES.

Vade,

VAde, Vale, Cave ne titubes, præceptaque frangas.
Ægrorum curam, quæso, age sollicitam :
Consule porro bonos libros : Ante omnia verò
Disce timere DEum. Sic benè cuncta fluent.

Paterno hocce monito Clarissimum Dn. Candidatum,
Auditorem quondam suum, dimittit & felices rerum
omnium successus ex animo precatur

ALEXANDER CAMERARIUS, D.

EGregiè tradis , qui sint abdomine morbi ,
Hinc Studii prudens exitus acta probat.
Dirigat Archiater summus feliciter illud ,
Ut miseris ægris utilis esse queas.

Ita ex sincero affectu erga Clarissimum Nobilissimumque
Dn. Candidatum Respondentem, RAU, amicum suum
atque Fautorem suavissimum , futuræ Praxeos felicis-
simæ adprecatione animitus accinit atque fovet

JOHANN GEORG GMELIN ,
Opponens.

VIsdera concinne monstras abdominis , atque
Ejusdem morbos tollere sic satagis.
Itaque cum cathedram scandis sub Præside docto ,
Pars mihi pacis erit , cum Tibi sic gratuler:
Cœlestis Medicus , qui perbene viscera noscit ,
Faxit , ut hinc cedant prospera cuncta Tibi !

Hæcce Clarissimo & Doctissimo Dno Candidato ,
Respondenti , Cominenali , amico & Fautori
suo æstumatissimo gratulabundus adjecit

G. M E L M , Premo-Saxo , Opponens.

